
Skuli Thorlacius

De lingua humana,



Q. D. B. V.

DE

LINGVA HUMANA

DISCURSUM

MODESTÆ OPPONENTIUM CENSURÆ

SUBMITTIT

SKULO THEODORI THORLACIUS.

DEFENDENTE

PRÆSTANTISSIMO ET OPTIMÆ SPEI JUVENE

FRIDERICO GOTTLIEB SPORON,

PHILOSOPHIÆ BACHALAUREO ET S SANCTÆ THEOLOGIÆ STUDIOSO,

IN AUDITORIO



Die Decembris ANNO MDCCLXV. *h. a. m. s.*

HAFNIÆ, typis ANDREÆ HARTVIGI GODICHE,

Imprimatur

C. HORREBOW.

VIRO

SUMME VENERABILI ET AMPLISSIMO

DOMINO

PETRO HOLMIO

S. SANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, EJUSDEMQVE

IN ACADEMIA REGIA HAFNIENSI

PROFESSORI P. O. PRIMARIO

ET

COLLEGII CONSISTORIALIS ASSESSORI,

VIRO

SUMME VENERABILI ET AMPLISSIMO

DOMINO

PETRO ROSENSTAND GOISKE

S. SANCTÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

ET

PROFESSORI P. ORDINARIO

COLLEGII DE CURSU EVANGELII PROMOVENDO

MEMBRO

ORPHANOTROPHII REGII DIRECTORI

CONSISTORII ASSESSORI,

Viri ſumme Venerabiles!

Mœcenates Optimi!

Non qvod veſtro par examine judicem hoc, qvicqvid eſt, ſpeciminis, nec, qvod hac occaſione fieri adſolet, ut, minus placituris, etſi veriſſimis laudibus vobis aſſentari velim, ſed, ut devinctiſſimi vobis animi, verecunda jam dudum gratitudine ebullientis, qvod nunc primum poſſum, qvod unicum, pignus & documentum publicæ luci exponam, haſce pagellas Vobis inſcribo; iis enim me beneficiis, licet immerentem, eſtis demeriti, qvorum memoria, ex hoc pectore non niſi cum vita migrabit.

Faxit ille, qvi ſuo pro lubitu ſapientisſime benigno nobis annos numerat & eventus, ille, inqvam, dator bonorum omnium, & malorum averruncus Deus, ut laborum

Veſtro-

Vestrorum fructus saluberrimos, qvam diutissime sua percipiat ecclesia; ut illi, per multorum adhuc annorum revolutos orbes, ad seram usqve ætatis vesperam incolumes prodesse qveatis; donec tandem, mortalium albo exemti, eorum, in triumphantium cœtu, numerum augetis, reportatis præmia, qvi aliis, in hac umbrosa dolorum valle, doctrina & exemplo præluxerint. Excipiatis igitur, Reverendi Patres, vultu, qvam soletis, sereno, qvale quale istud, qvod ad Vestras aras mente devota deponitur, munusculum, meqve favore Vestro dignari pergatis; Sic Vobis, novi, qvi jam propediem inibit, anni, bene soles niteant

Vovet

VESTRA

Viri summe venerabiles!

NOMINA

Observantissime culturus

Autor.



§. I.

Nisi fallunt præcepta veterum, qvæ jubent "*tempori* "*parere*, *&* *seqvi Deum*, *&* *se noscere*, *&* *nihil* "*nimis*" (a) rerum qvibus insudat sollicita mortalium cura, tempus operamqve minus pleraqve merentur, qvam sui ipsius scrutinium: Illene aut stultus habebitur, aut ingrato similis, qvi, qvale qvantumve in se alter beneficium contulerit, & ipse non novit, & agnoscere negligit? Ita vel sensum omnem, ne dicam sui curam exuerit, oportet, qvi cum divinam erga se bonitatem justa lance pensaverit, in devotissimam Numinis venerationem, debitasqve eidem grates solvendas, totus non solvitur; tot enim tantisqve utramqve hanc hominis partem donis exornavit Deus, rerum autor & arbiter, qvot & qvantis nullum cœterorum, qvæ nobis in sublunari hocce territorio convivantur, animalium.

§. II.

(a) Cic. de Fin. bon. & malorum Ed. Schrev. p. 1082.



§. II.

Verum, qvæ noſtra vanitas eſt & audacia, nitimur in vetitum, & circum ea clauſtra fremimus, qvæ, pro præſente ſtatu, cognitionis noſtræ terminos eſſe voluit provida Dei benignitas; Vagamur per externa rerum, iisqve inhæremus, qvæ nobis partim invia, partim inutilia ſunt, cum hoc mundo itura peſſum, & qvorum nobis cum illa lucis uſura, uſus peribit; ea vero, qvæ nobis proxima, individua, & qvæ nos in futuram usqve vitam comitabuntur, ibiqve, prout illis hic uſi fuerimus, vel damno futura, vel deliciis, qvaſi noſtra attentione eſſent indigna, aut parum curamus aut nihil.

§. III.

Eqvidem largior, externa illa & corporea, qvibus adeo delectamur, & qvæ ſenſus noſtros delicato qvodam morſu titillant, pro ſua qvælibet indole eſſe totidem Majeſtatis divinæ teſtes haud fallaces, qvo penitius tamen ſingula contemplaris, inter tot rerum miracula, exactius perfectionum divinarum ſpeculum non invenies, qvam admirabilem illam hominis ipſius fabricam, cujus duæ partes, anima nempe & corpus, ſive eas junctim, ſive diviſim conſideres, vel ſagaciſſimo cuiqve, totidem ſunt, eruntqve ſemper ænigmata.

§. IV.

§. IV.

Qvam mira non eſt anima illa noſtra, mirabilium tantorum judex & artifex, divinæ naturæ imago, qva fontes omnes veri rectiqve referantur, qva Deo unimur, & creaturis imperamus, in cujus memoriæ diverſis cellulis, tot varia reconduntur, qvæ cum neceſſitas urget, integra & ſine minutiſſimæ circumſtantiæ jactura fideliter redduntur, cujus vaga & ſubtilis phantaſia extra omnes mundi ſphæras venatur, nullis limitibus niſi ſuis contenta, præterita in tempus præſens retrahens; & tempus præſens, ne tranſvolet, figens; internis ſuis bonis perfecta, ab externis ſecura. Recta tamen ratio, tantum cœteras animæ dotes ſuperat, qvantum illæ externos ſenſus, huic enim tanqvam ſupremo tribunali omnia ſubmittuntur, & ea tanqvam ſcala in cœlum ipſum aſcenditur, illa eſt, qvæ imaginationis alis & memoriæ theſauro utitur, nec illis elata, nec hoc oppreſſa (a)

§. V.

Corpus qvod attinet, qvis capere potis eſt aut explicare ſatis, qva arte in ocello, dicis cauſa, & auribus tot & tam variæ imagines recipiuntur, ſine confuſione vicinæ,

(a) Joh. P. Hebenſtreit de Humanæ ratioc. infirmitate.

vicinæ, & cum varietate integræ. Vincit tamen omnia mirificus ille corporis animæqve consensus, qvi, licet diversissimæ sint indolis, concordant tamen semper, & in amicissima vivunt unione, in qvo commercio explicando, qvo laboriosius rimatur acutissimus qvisqve hoc magis caligare videtur.

§. VI.

Non ingrediar jam, fragili rate, tam immensum cogitandi dicendiqve oceanum, tot tantorum naufragiis insignem, sed in orbitam redibo, & unicum miri hujus corporis animiqve consensus exemplum adducam, nobile scilicet illud rationis & orationis in homine connubium, qvod, si non solum, saltim præcipuum esse, qvod eum a reliqvorum animalium ruditate longissimo intervallo sejungat, non erraverit asserens, ut, cum Cicerone (a) ad rationis & orationis culturam referri posse arbitrer, qvicqvid *humanitatis studiorum* splendidum nomen meretur.

§. VII.

Uti enim inter animæ facultates principe loco ponendam esse rationem in confesso est, ita & loqvelæ inter corporis

(a) Cic. Or. pro Arch. Poëta Cap. 2.

corporis nostri perfectiones primas deferre non detrectabit, qvi, qvantum sit loqvela artificium, qvamqve usus ejus rationi sit indispensabilis, paulo attentius perpenderit.

§. VIII.

De priori siqvis dubitat, an tantæ nimirum sit artis opus, concessa nobis cœlitus loqvendi facultas, eat, qvæso, edicat, qvi fieri possit, ut anima illa nostra, sublimis, subtilis, ditissima sensuum, omnis tamen expers materiæ, mandare qveat qvicqvid habet varii, sonis qvibusdam ex gutture protrusis, qvi, dum rapide prætereunt, in transitu narium, palati, lingvæ, dentium, labiorum qvasi typis in varias formas exprimuntur, sicqve formati liberum ingrediuntur aëra, per ejusqve volubiles gyros, eodem ordine, eadem velut figura, qva prolati sunt, occulto vehiculo ad circumstantes transvehuntur, & pro excipientium numero multiplicantur illæsi; eadem facilitate aures intrant, & per flexuosos harum ductus & mæandros ascendunt in cerebrum, ibiqve in animarum, ad qvas mittuntur, qvasi curia, qvod sibi a domino commissum erat, pari fide qvisqve deponit & exseqvitur; sive rerum secum imagines vexit, sive sedatos ciere affectus, aut excitos mulcere jussus sit.

§. IX.

Præstare vero sermonem usum rationi, usu rationis non orbus, nemo ignorabit: est enim rationis index &

interpres loqvela, qvam, ſicui vel noverca natura, vel fors negaverit iniqva, parum abeſt, qvin illa ipſa ratio, negata brutis, obbruteſcat & obliviſcatur ſui. Cum loqvela incipit, & creſcit uſus rationis in infantibus, qvi in mutis ſurdisqve natis exiguus eſſe deprehenditur, & qvantum educationi, mutuæqve per vocem inſtitutioni homo debeat, ſuo docent exemplo ii, qvi vel inter mutos, vel bruta, proximum infantiæ tempus egerunt, cum illi fere nihil loqverentur, hi autem feris, qvarum conſortio erant innutriti, feritate haud ceſſerunt, tamqve parva dederunt rationis ſpecimina, ut eos, a cœteris brutis, nihil niſi corporis forma diſtingvere videretur, & donec humano paullatim commercio manſveſcere & mitigari cœperunt, præter raucos & inconditos animantium, qvibuscum maxime converſati fuerant, ſonos proferre non potuerunt (a).

§. X.

Eſt igitur ſermo rationis noſtræ vita, & qvædam qvaſi, per qvam ipſi ſpirant Spiritus, reſpiratio; uti enim parum proderit corpori, hauſiſſe vitales auras, ſi Spiritus intercluſus, qva venit, remeare neqveat, ita vegetus ille mentis noſtræ vigor, ſi non prorſus extingvetur, langvebit

(a) Iſtius generis aliqvot exempla invenies in Jac. Carpov. de Perfectione Lingvæ §. 40. Sch.

langvebit oppido & obtundetur, nisi, qvas sensuum ope receperat, totidem veluti omnis cognitionis infundibulis, imagines, interprete lingva, reddere, & cum aliis communicare possit. Hoc sermonis commercio & docemus alios, & discimus, nos & alios oblectamur, juvamus; loqvendi igitur facultate sublata, ad ruditatem & ignorantiam plusqvam barbaram, imo ferinam lapsum ire magis certum est, qvam probabile.

§. XI.

Adde, qvod, cum omnis nostræ cognitionis naturalis ultimus fons & origo sit experientia, qvam sensuum auxilio acqvirimus; notiones autem sensuales, qva tales, obscuras esse Philosophi docent, cum ea demum objecta distincte sciantur, qvorum notas peculiariter & nobis sistere, & narrare aliis possumus; dubitari non potest, loqvelam, in illo præsertim rerum statu, ubi cognitio nostra tota qvanta, fere symbolica est & signis adstricta, esse insigne habendæ distinctionis idearum, & proinde perficiendæ cognitionis nostræ adminiculum.

§. XII.

Porro, ea est hominis natura, qvæ ejus etiam nec minima præ brutis prærogativa est, (unde eum

Ζῶον πολιτικὸν vocavit Ariſtoteles) ut non ſibi tantum, ſed & aliis vivere ipſa natura qvaſi magiſtra ſciat & didicerit; Ille ſtatus & conditio, ut ſine ſocietate cum cœteris, perſæpe ne vivere qvidem, multo minus commode & jucunde vivere poſſit; Aſt urbem ſine ſolo condere facilius, qvam ſocietatem inter homines ſine facultate cogitata ſua cum aliis communicandi, aut inire, aut colere.

§. XIII.

Qvæ omnia ſatis monſtrant eſſe loqvelam vitæ ſociali prorſus neceſſariam, & ſine ſermone vitæ rationem longe miſerrimam futuram, (a) qvippe qvæ ſocietatis humanæ, ne dicam univerſæ Spirituum finitorum civitatis anima & vinculum ſit; & hinc eſt, qvod ipſis etiam gentilium ſapientioribus tanti viſa eſt loqvela, ut ejus originem ad Deum ipſum referre non dubitaverint. (b) Ciceronem (c) audi, illuſtre illud eloqventiæ ſidus; "*Vinculum*, inqvit, *ſocietatis eſt ratio & oratio, qvæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando, conciliat inter ſe homines, conjungitqve naturali qvadam ſocietate.*" Audi Qvintilianum, pereximium illum inſtitutionum oratoriarum præceptorem: (d) "*Et hercle, Deus ille*

(a) J. F. Budd. Theol. Mor. P. 2. c. 3. L. 5. §. 4.
(b) Morhoff Polyhiſt. P. L. 4. c. 1. §. 4.
(c) Cic. de Off. L. 1. c. 16.
(d) Qvintil. Inſtit. Or. L. 2. c. 16.

ille princeps, parensqve rerum, fabricator mundi, nullo magis hominem separavit a cæteris, qvæ qvidem mortalia essent, animalibus, qvam dicendi facultate."

§. XIV.

Est & alia lingvæ, qvatenus pro facultate animi sui sensa cum aliis communicandi sumitur, propago, Scripturam dico, qva vix feliciorem, aut utiliorem sibi fœtum unqvam enixa est humana industria; Hæc ipsa etiam loqvela nòn uno nomine aptior & utilior est, si enim promtius & facilius, qvod suum est, exseqvitur lingva, illud usus perennitate scriptura compensat; Sermo vivus tantum loco & tempore præsentes, pictus vero etiam longa locorum temporumqve intercapedine remotos conjungit; esse tamen scripturam sermonis oralis imaginem & symbolum res ipsa clamat, cum idem utriqve usus & natura, eoqve loqvelæ, utpote antiqviori, & generi humano coævæ originem illa debet; unde & qvot ex arte scribendi commoda redundant, lingvæ etiam primitus accepta referre debemus, cum sine hac illa non magis exstitisset, qvam sine matre filia, sine ratione oratio.

§. XV.

Participat igitur loqvela, & eodem sibi jure vindicat, qvæ â gratitudine nostra scriptura meretur elogia.
Per



Per nudam ſignorum æqvipollentium ſubſtitutionem & combinationem novas inveniri veritates docet Algebra, & cœteræ Matheſeos partes, terminorum Logica; & per ſingula eundo ſcriptionis uſum demonſtrare, in præſens noſtræ nec opis eſt, nec inſtituti; Diffunditur enim per totum, qva patet, ſcientiarum campum, qvod vel ex modo dicendis diſpaleſcit.

§. XVI.

Arctis adeo limitibus, qvi nunc eſt rerum ſtatus, continentur animæ noſtræ in inveniendo & examinando vero, vires, tamqve ardua res eſt, & plena laboris veritatis inveſtigatio, ut, niſi homo homini, ætati ætas manus porrigat auxiliatrices, parum ſuccedat; Etſi enim in eruendis rerum rationibus, ſæpe ingenia recentiora inventionis gloriam præripere, aut dubiam ſaltim reddere vetuſtioribus videantur, explorata tamen veritas eſt, qvod ſemina dogmatum recentiorum in ſcriptis majorum ut plurimum deliteſcant, qvodqve, ordine mutato, qvæ ex majoribus hauſta ſunt, magna ex parte noſtra, tempeſtate doceantur, ut, qvos noſtra fert ætas, eruditi, non diſſimiles ſint pygmæis, gigantum humeris inſidentibus, a qvibus elevati longius ipſis proſpiciunt (a).

§. XVII.

(a) J. Carpov. Programma de ratione Autores Claſſicos tractandi Gymnaſiaſtica.

§. XVII.

Vides igitur, qvomodo cum veritate comparatum fuiſſet, ſi de tot magnorum olim virorum nominibus, nedum dogmatibus, non ſupereſſet qvicqvam; Vagirent adhuc in cunis & perpetuam qvaſi agerent infantiam ſcientiæ, qvæ jam tanti temporis decurſu, per conjunctos tot virorum labores maturuerunt adultæ; Id vero ſcripturæ debetur in ſolidum, qvod tot illuſtres antiqvorum labores, excolendis uberius animis noſtris ſervaverit. (a)

§. XVIII.

De hiſtoria qvid dicam? per qvam, ut cum Poëta loqvar,

Damna brevis reparamus ævi;

Hujus qvantum ſit momentum, qvanta utilitas (b) pro me dicat Tullius (c) "*Hiſtoria, inqvit, teſtis eſt temporum, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.*"

§. XIX.

Temporis igitur eminus exacti memoria, niſi literarum & ſcripturæ beneficio, firmius pedem figere poſſet, ſed per hominum ſibi ſuccedentium ora lubricis gradibus ad poſteros deſcendere deberet, vereor ne nihil, niſi

(a) Morhoff. Polyhiſt. P. 1. L. 4. c. 1. §. 8.
(b) Log. de Croſa P. 1. S. 2. c. 2.
(c) Cic. de Orat. L. 2.

nisi propiora, eaqve non integra, sed, non secus ac de domus incendio qvod rapitur, ustulata; incuria scilicet, & parum fidæ vetustatis vel oblivione ambesa, vel fabulis adulterata, retineret seqvior ætas, & nubem pro Junone sæpius amplecti cogeretur: Qvanta igitur scripturæ, & per scripturam lingvæ in genus humanum merita sint & utilitas, nemo ambigere potest, cui sinistra rite mamilla subsilit.

§. XX.

Ante autem, qvam de tabula manum auferam, unicum addam, qvod si cœtera omnia deessent, in aperta poneret luce, qvanti sit habenda loqvendi facultas. Nimirum ut, qvemadmodum cum cœteris ad gloriam Dei, ejusqve Majestatem agnoscendam & concelebrandam in rerum primordiis totus conditus est homo, ita tota ejus in qvocunqve demum statu constituti, felicitas & beatitudo in intima veneratione Dei & amore sita est; Illa vero veneratio Numinis intra recessus animæ latitare nevtiqvam debet, sed prodire foras, ut & nostram, & aliorum devotionem augere, excitare & fovere qveat; si enim non tantum animam, sed & corpus, & facultatem loqvendi a Deo in creatione rerum accepit homo, certe totum hominem Deus vicissim reqvirit, & harmonia interiorum & exteriorum delectatur, nec in cultu tantum interno acqviescit semper, sed & externum sibi deposcit. Qvicqvid autem homo ut creatura rationalis, velut sibi

proprium

proprium a Deo accepit, id in hujus gloriam & cultum convertere lex naturæ jubet, unde ſimul patet cultum Dei externum tertio Decalogi præcepto injunctum, & inſtitutionem Sabbati legis eſſe moralis.

§. XXI.

Hunc etiam præcipuum eſſe lingvæ uſum ipſi gentiles agnoverunt; bene Cicero pietati preces ſonoras jungit, "*Nulla*, inqviens, *re magis afficitur Deus, qvam pietate & juſtis precibus* (a). Bene Arrianus Epicteti Diſcipulus & commentator (b). *Si ſani eſſemus, qvid nobis aliud agendum erat, & publice & privatim, qvam Numen celebrandum & laudandum, & grates perſolvendæ? Nonne & inter fodiendum & arandum, & edendum hymnus cantandus erat Deo. —— Si luſcinia eſſem, luſciniæ officio fungerer, & Olor Oloris, nunc rationis cum particeps ſim, Deus mihi celebrandus eſt.*

§. XXII.

Ex innumeris fere Chriſtianorum hac de re teſtimoniis ſatis erit unum adduci Alſtedii locum (c), qvo lingvæ naturam & uſum breviter & accurate ita exponit: "*Facultas*

(a) Cic. pro Cluentio.

(b) Arr. Comment. in Epict. L. 1. c. 16.

(c) Alſted. Theol. Nat. P. 2. p. 606.



"*Facultas loqvendi eſt, qva homo res conceptas per voces articulatas aliis enunciare & ſignificare poteſt, Deumqve celebrare debet.* & alibi (a) "*Facultas loqvendi ſoli homini rationis participi data eſt, ut Deum invocet & celebret, proximumqve ſuum juvet, docendo, refutando, corrigendo, mouendo & conſolande, & deniqve ſe ipſum oblectet*" &, nonnullis interpoſitis, "*Huc qvoqve pertinet cantus, nam homo naturaliter fertur ad voluntatis & affectuum ſuorum conceptus harmonica voce ſignificandos & exprimendos; Ideoqve canendum, canere autem eſt harmonice loqvi.*"

§. XXIII.

Qvos & alios lingvæ uſus & momenta ſingula cum obtueor, & perpendo, etſi cœtera, Auguſtino adſtipuler, cum, *facilius*, inqvit, *poſſumus dicere, qvid non ſit in vita æterna, qvam qvid ibi ſit.* Vero tamen proxima mihi videtur ſententia ſtatuentis, futurum etiamdum in altera vita loqvelæ uſum; Communis ea qvidem Theologorum aſſertio eſt, etſi in determinando, qvæ & qvalis illa futura ſit lingva, in varia ſententiarum divortia abeant, cum qvidam ſunt, qvi electos qvodam omnes locuturos lingvas exiſtiment, cum Salmerone (b) & Nicolai (c) his præcipue moti rationibus. 1.) Qvia omnium habituri

(a) ll. citt. p. 703.

(b) Salmer. Comment. in 1 Cor. 13. v. 8. p. 171.

(c) Phil. Nic. de Vita æterna L. 5. p. 1081.

habituri ſunt notitiam. 2.) ex Philipp. 2. v. 11. *Omnis lingva confitebitur, qvod Chriſtus ſit dominus.* Alii, iiqve non pauciſſimi Hebræam lingvam locuturos fore electos, in qva ſententia probanda laborioſus eſt Schertzerus (a) & plures (b). Sunt deniqve, qvi novam volunt electis lingvam infuſum iri, eminentiorem longe & excellentiorem, angelis ſolum uſitatam (c) id qvod adſtruere nituntur dictis Scripturæ ſacræ, maxime ſeqventibus: 1 Cor. 13. v. 8. 2 Cor. 12. v. 4. Seph. 3. v. 9. Luc. 20, v. 36. coll. 1 Cor. 13. v. 1.

§. XXIV.

Prima dictarum ſententia adeo vacillare mihi videtur, ut ejus argumenta nominaſſe ſit refutaſſe. *Secunda* autem, etſi ſe Theologis & Philologis magni nominis & numeri tantopere probaverit, tamen excipi poterit ali-

 qvid

(a) Schertz. Syſth. Theol. Loc. 23. p. 636.

(b) P. Galatinus de Arcanis C. 5. l. 12. c. 4. G. Georg. Venet. Harm. Mund. Cant. 3. T. 7. c. 2. Remig. ad 1 Cor. 13. Leuſten Phil. Ebr. p. 202. Danhav Hodoſ. Phœn. 12. p. 1491. Pheiff. Introd. in Or. Qvæſt. 7. p. 12. & hi qvidem, referente Joh. Chriſtoph. Caſp. in Diſſ. de Lingva prima.

(c) Hujus Sententiæ ſunt Cornel. a Lapide in 1 Cor. 13. p. 229. Waltonus Proleg. 3. n. 25. Bochart Phaleg. p. 59. & ex noſtris C. E. Brochmannus Syſth. Theol. De vita æt. Caſ. Conſc. 4.



qvid contra eas, qvibus adſtruitur, rationes. Etenim 1mo. locum Soph. 3. v. 9. qvod attinet, tum ille vix de electorum lingva agit, nec explicatio ex Targum Jonathæ adſcita tanti eſt, ut id extra dubium ponatur. 2do. Nec plus valet, qvod Eſajas cap. 6. v. 3. Cantum angelorum hebraice ſcriptum nobis reliqverit, aut Apoc. 19. v. 4. ſancti dicuntur cantaturi *Amen Halleluja*. Proxime enim ſeqventi mox dicti capitis verſu, ut & alibi pluries, græce referuntur aliæ voces itidem dicendæ. Nec 3tio. firmius inde petitur argumentum, qvod Act. 26. v. 14. Chriſtus ex cœlis *dialecto Hebræa* Paulum allocutus dicatur; etenim *Græca* Johannem in Apocalypſi, *Cananæa* Abimelechum Gen. 20. v. 3. Deus appellavit, & feſto Penteco-ſtes per ora Apoſtolorum *diverſis lingvis* locutus eſt Spiritus Sanctus Act. 2. v. 4. 4to. & ultimo, qvod hujus Sententiæ fulcrum eſt, certo rem non evincit, nimirum, qvod lingva Hebræa fuerit primæva, & homini integro in Paradiſo, ut ſic dicam, vernacula, & reliqvæ omnes lingvæ ſint peccati, temeritatis ſcilicet Babelicæ pœna: Illud enim nondum extra dubium eſt, negantibus aſſertum viris maximæ eruditionis & judicii, criticis: Capello, Grotio, Clerico & aliis (a).

§. XXV.

(a) Morh. Polyh. P. 1. L. 4. c. 3. §. 1. Henr. Wilh. Clemm. Verſuch einer critiſchen Geſchichte der Hebräiſchen Sprache. c. 2. §. 12. ſq.

§. XXV.

Et ſi vel maxime iis, qvi huic ſententiæ patrocinantur, largiri velimus, lingvam hebræam eſſe primævam, nihil proficient, dum non probaverint inde ſeqvi lingvam primævam fore lingvam beatorum, fuerit enim, concedo, illa lingva, ut pote qvam vel Dei & angelorum conſortio didicerit homo integer, vel in ipſa creatione divinitus & immediate ſibi datam acceperit; fuerit, inqvam, illa omnium, qvæ nunc qvidem ſunt, aut fuerunt deinceps., lingvarum perfectiſſima, fuit tamen & illa ipſa huic tabernaculo, terræ nimirum accommodata, plena divesqve, modo perfecta fuerit, rerum ſenſualium nominibus & notionibus, qvarum pleraqve omnia cum hujus mundi ſchemate peritura ſunt; In his igitur terris perfecta utiqve eſſe poterit lingva, qvæ civitate cœleſti & aula Numinis perqvam indigna eſt, qvæ alias res, & aliter cognitas nobis repræſentabit, qvam qvæ noſtros ſub iſta nocte ſenſus, mentemqve paſtæ ſunt.

§. XXVI.

Ultimæ igitur Sententiæ accedo; *novum* ſcilicet *iſtum ſtatum novam ſibi lingvam poſcere.* Verum qvocunqve res cedat, loqvela etiam vocali electos in altera vita gaviſuros Apoc. 5. v. 9. Cap 7. v. 10. ſq. Cap. 12. v. 10. ibidemqve deſcriptæ plurimæ doxologiæ & ſermocinationes



nes beatorum innuere videntur; Qvin & discursus ille & colloqvium, qvod in ultimis totius mundi comitiis, judicem inter & judicandos habebitur, Matth. 25. v. 34. *ad finem*, idem demonstrat; Qvicqvid enim habent resuscitati, fictis jam in eas, qvas semper retinebunt, formas, corporibus, illud habebunt sine fine in duplice, illo statu, qvem, lata jam & prolata judicii sententia, bifido statim itinere ingredientur. Uti igitur damnati præ dolorum impatientia, lingvas suas mordebunt, mutuisqve petiti gement opprobriis, ita etiam electos, inter beatorum chorevma cœlitum, cum angelicum illud τρὶς-ἅγιον ingeminabitur, mutos & elingves futuros non existimo.



